

240985

DISPUTATIO THEOREMATICA

ASTROVENS

15865

MOTVM DIVRNVN
TELLURI VENDICAN-
DVM ESSE

Quam

Publica ventilationi subiicit

M. ALBERTVS LINEMANNVS

Prusso-Fischhusinus, Mathematicum in Academia
Regiomontana Professor
Publicus

RESPONDENTE

REINHOLDO Nauwerck Regio-
montano Prusso

Addiem 5. Maij, horis à 7. matutinis in Auditorio
majori.



REGIOMONTI

Typis Laurentij Segebadij.

ANNO M. DC. XXXV.



VIRVM

QUA GENERE, QUAINTEGRITATE
CONSPICVVM

Dn. A N D R E A M
SCHMITNERUM

Mercatorem florentissimæ
Palæopoleos, Vitricum
affectu colen-
dum



*Manusculoocce Academico ad ul te-
riorem spem atq; charitat emb.*

invitat

Reinholdus Nauwerck.

DISPUTATIO THEOREMATICA
MOTVM DIVRNVN TEL-
LURI VENDICANDVM ESSE
ASTRVENS.

Proœmium

Fati, quod in controversijs dubijs, præsertim odiosis, manere solet eos, qui potius veritati eruenda, quàm imperiose auctoritati sua studia consecrare discipiunt, non ignarus satis odiosum thema publicæ ventilationi sub- jicio, memetipsum, si contrarium fuerit evi- tum, Veritati ejuscemodi evincenti libentissimè subjecturus. Rem totam autem in sequentibus Theorematis brevissimè ex- peditam dabo. Sit igitur:

THEOREMA PRIMVM

Tellus cum sibi coadunitis ele- mentis constituit unum systema, idq; sphæricum.

I §.

Tellurem & aquam globum constituere unum ex Sphæricis libellis hæc in re demonstratione nitentibus abunde constat. Cum verò globus hic circumdatus sit e- lementaribus rebus alijs, interim communibus, dispicien- dum erit, numnè hæc res elementares in extremitate al- titudinis globum hunc sphæricè ambient, atq; sic unum systema, elementare scilicet, constituent? Asserti theo- rematis veritatem sequentibus ratiocinijs expedire pla- cet.

A

2

2. §. Pri-

Primò. Quia Summus opifex in primâ creatione distinctissimè separat coelos, utpote sedes corporum coelestium, ab ipsis rebus sublunaribus atq; adeo elementaribus. Quid enim aliud intendebat, cum aerem diversè vaporosum ex terrâ in altum eveheret, quàm ut intra telluris ambitum & concavum coelorum, seu initium infimi luminaris systematis concluderet ea, quæ cum terrâ operationes suas materialiter invicem exercerent?

Secundò. Videmus singulos Planetas sua certa ac determinata systemata obtinere, in quibus materiales suas actiones exercent, spirituales saltem influentias ad nos transmittentes. Sic Vaporosum suum coelum *Jupiter* circumfert systematicum, ut *Galileus* observavit, & in suo *Nuncio sidereo* ad oculum demonstravit. *Circum-Joviales* enim *Planetae* circa Jovem cursum suum instituunt quidem, at motum Jovis systematicè persequuntur. Sic materiales maculas *circum-solares* systema sibi vindicat proprium ut *Scheinerus* ostendit. Sic vaporosam materiem circumlunarem, ut *Mæstlinus* & *Galileus* observarunt, lunare systema sibi reservat. Quod etiam ex scintillatione fixarum patet, quæ non nisi in proprio suo stellari systemate exercetur, prout id, in *disputatione Leyda à me habitâ*, non sine maximâ probabilitate est exhibitum. Cum igitur, quævis reliqua corpora naturalia globosa hancce systematicam rationem ostendant eamq; cum vaporibus suis unam, nullo jure eadem Telluri erit adimenda, vel saltem absurda censenda.

Tertiò. Quia cuncta, quæ intra terram & concavum Lunæ aere graviora existunt terram centrum suum agnoscen-

scientia terræ sese adiungere student, quod non fieret nisi idem systema, ex Tellure, & reliquis elementaribus constitueretur, quod patet iterum ex aliorum systematum habitudine, ut in præcedente theoremate allatum probat.

5. §.

Quartò. Quia elementa inter se invicem transmutantur, prout ij, qui atomos fugant ostendunt, videatur *Cornelius Drebbelius de Elementis*. Quæ verò ita se habent, ad idem systema pertinere manifestum est. Si enim hoc non concedatur quodvis grave peteret quodvis naturale centrum, quod non minimam spirat absurditatem.

6. §.

Quod verò systema hoc sit Sphæricum manifestum est ex eo, quod superiora sint subtiliora [non loquor autem de ijs, quæ in superiori parte systematis sustinentur violenter] & minus gravia. Quia verò hoc ubiq; locorum verum est, quod lux crepuscularis evidentissimè arguit, quæ ubiq; æqualem solis depressionem sub horizonte sibi poscit, utiq; extremitas hujus systematis subtilissimis ac levissimis partibus elementaribus, ac æqualiter à centro suo remotis, adeòq; sphæricè terminabitur, *ut patet ex staticis*. Constat igitur, quod Tellus cum sibi coadunatis elementis constituat unum systema, idq; Sphæricum.

THEOREMA SECUNDVM

Motus diurnus majori probabilitate Telluri à Copernicæis, quàm cuidam Sphæræ extimæ à Ptolemaicis adscribitur.

A 3

1. §. Pri.

I. §.

Primam rationem desumo ex eo, quo *Natura dicitur nihil superfluum machinari ordinariè, sed omnia, quantum fieri potest, compendiosissimè*, cujus axiomatis veritatem, quæ stringentibus rationibus, tum Philosophis cæteris satis perspectis nititur, nudè arripio. Sufficiet autem, si ostendero, Naturam juxta nostram assertionem sese exhibere compendiosissimam, at juxta contradicentium sine necessitate superfluam.

2. §.

Ptolemaici & horum sequaces Philosophi ob motum hunc diurnum liberandum circumgyrare coguntur: 1. Sphæram primi mobilis: 2. Stellarum fixarum: 3. Saturni: 4. Jovis: 5. Circum-Jovialium Planetarum Sphæras quatuor: 6. Martis; 7. Solis: 8. Mercurij: 9. Veneris: 10. Lunæ. Præter hæc suas ficticias sphæras infinitam segetem stellarum fixarum [quarum jam olim 1022. notatæ sunt, at hodie longè plures per tubum opticum detectæ] cum tredecim Planetis, sc. 7. ordinarijs, 4. Jovialibus, & 2. Saturninis, circumvolvunt. Quæ tamen stellaria corpora ut plurimum multis modis Telluris globum superant.

3. §.

Horum omnium vastissimorum corporum & totius universi circumgyrationem unicus Terreni systematis motus diurnus quiescere, maximamq; primi mobilis sphæram, ut superfluam eliminare jubet; cum scilicet Tellus singulis 24. horis ab occasu in ortum circumvolvitur semel, quod *Apparentiæ* mediante hoc unico Telluris motu salvatæ ad oculum ostendunt. Dubium igitur erit nullum, quin juxta assertionem nostram *Natura operetur compendiosissimè*, at iuxta contradicentium *absurde*

superflue. obtinebitur ergo quod probatum esse debebat.

4. §.

Secundam rationem largitur absurditas Sphærarum, præsertim superiorum motus insani, & ipsam cogitatione ferè velocioris. Ne autem hoc gratis à me dictum quis putet, ex hypothese Prolemaicâ & eidem adstipulantium indagabitur motus hujus velocitas vel pernicitas hoc modo:

5. §.

Nobilissimus *Tycho Brahe*, maximè perspicax Astronomus Fixarum Sphæram à centro mundi ad 14000 semidiametros terræ removeret, quæ conficiunt 12040000, milliaria Germanica ferè; continebit igitur juxta proportionem Archimedeam maximus Sphære stellaris circulus 88000 semidiametros terræ, sive 75680000 milliaria Germ. quot singulum punctum in æquatore octavi orbis situm, 24 horis, scilicet singulis horis, 3153333. milliaria Germ. singulo scrupulo seu minuto primo horario 52555. mill: Germ: singulo scrupulo secundo, hoc est, in momento ferè 876. mill: Germ: pervolabit. Quem motum tam vastorum corporum in ictu oculi vel in uno arteriali pulsu absolvi quis credet? credat Judæus appella.

6. §.

Ab ejusmodi verò motu insano Telluris motus diurnus aptissimè Naturam liberat, dum punctum æquatori subjectum singulis 24. horis 5400. milliaria Germ: pertransit: singulis horis 225. mill: Germ: singulo minuto primo $3\frac{3}{4}$ mill: Germ: singulo verò scrupulo secundo saltem unam decimam sextam partem unius milliari Germanici: qui motus naturæ & Experimentiæ planè conveniens censendus erit, præsertim si cogitatur per motio globi tormentarij intra duo minuta horaria integrum milliare Germ: conficientis.

7. §. Nec

Nec quis agrè ferat, quod non assumpserim extremitatem globi aeream, nam idem ferè inde inferitur quod ex Telluris globo solo: cum enim punctum sub æquatoris situm in ipsa Tellure in uno minuto secundo, seu momento unam decimam partem unius milliaris pervolat, punctum in aeris extremitate, 13 circiter milliariibus distante unam decimam quintam milliaris partem pervolabit, quæ differentia in hoc negotio nullius est momenti. Pensitet jam quisq; cordatus numne motus $\frac{1}{16}$ mil: Germ: seu 250. pas: in momento conficiens Naturæ sit convenientior eo, qui in momento 876. milliaria Germanica pertransit?

8. §.

Tertiam rationem suppeditat communis proportio motui cælestium Sphærarum à Naturâ ipsâ præmonstrata. Ecce verissimum est, ac exactè ab Astronomis demonstratum, motum stellaris corporis majori sphæra adjudicati in revolutione suâ plus temporis insumere, quàm eum, qui in minori sphæra stella circumgyratur. Videmus enim stellas fixas annis 25410. suum motum periodicum absoluturas: stellis fixis verò proximè subjectus Saturnus annis 30: Jupiter 12: Sol, Venus & Mercurius uno annorum: Luna verò minimâ sphæra gaudens mense suam revolutionem absolvit. Ex quibus apparet, motum majoris sphærae tardiùs, minoris verò velociùs absolvi.

9. §.

Contra hanc motus rationem ab ipsâ Naturâ indigitatam & experientia comprobata *Ptolemaica & contradictorium* hypothesis ob fictum suum sphærae extimæ motum hæc omnia invertit, & quasi ex condicito naturæ adversari placet: dum maximæ sphærae minimū, at minimæ sphærae maximum velocitatis momentum assignat, *Rapidissime enim*

enim movebitur sphaera stellarum fixarum, vel haec
velocius superior ficticia sphaera primi mobilis; *omnium*
verò *tardissime* Lunaris sphaera minima. Quæ quivis non
nisi absurda & Naturæ, motus omnis rationem monst-
rati; inconveniencia (si inanis contradicendi libido non
adfit) asserere cogitur. Cùm igitur hypothesis *Copernicea*
Naturæ vestigia ab eadem monstrata legit, *Ptolemaica* ve-
rò ea, quæ in naturâ non sunt fundata, sed aliena; utiq;
ratio concludet id, quod conclusisse debebat.

10. §.

Alijs argumentis, ijsq; ferè infinitis probabilitatem
assertionis nostræ inferentibus libens supersedeo; Quorû
quædam non sine pondere sententiam nostram stabilire
possent; Interim quædam ita sunt comparata, ut vel mi-
nùs stringant adversarios, vel principium petant. Hinc
tribus hisce rationibus nixus non dubito, quin cuivis sen-
tentia nostræ probabilitatem; adversariorum verò im-
potentiam sufficienter & satis evidenter ostendant.

THEOREMA TERTIUM.

**Motus diurnus Telluris est syste-
maticus.**

1. §.

In hocce theoremate probando non ero multus,
siquidem paucis res expediri possit taliter: Sufficienter
in *primo hujus disputationis theoremate* ostensum est, quòd
tellus cum coadunitis elementis unum systema constitu-
at: sufficienter etiam probatum est *in secundo*, terram
motu diurno circūvolvi. Ex quibus immediatè sequitur
terram moveri systematicè conceptam; nam partes syste-
matis sphaerici idem centrum petunt naturaliter, hinc à

B

cen-

centri sui observatione si divellerentur, maximè naturali operationi suæ *Natura* violenter resisteret, quod non minimum spirat absurdum. Quid enim absurdius dici possit, quàm naturale systema sphericum non moveri totum, si ejus centrum moveatur?

2. §.

Quod ostendi, comprobatur natura aliorum systematum, in quibus ad motum centri componunt se partes centro circumpositæ: sic *Jovis* tanquam centri sui systematis motum sibi vendicant *Circum-Joviales Planeta quatuor*, vaporoso suo orbe minimè relicto. Nec enim Planeta hi novi Jove absente unquam cernuntur: Nec etiam vaporosus *Jovis* orbis à suâ sphericâ constitutione digrediens unquam fuit conspectus: Hoc enim si non fieret utiq; *circum Joviales Planeta* in longissimâ digressionem interdum majores essent conspecti, quod tamen ab omni observatione *Galileo* fuit alienissimum.

2. §.

Quomodo alia systemata idem demonstrent, hic ulterius excutere nolo, siquidem id ipsum tum *ex primo theoremate*, tum *ex sequentibus* satis dijudicari possit. Neq; etiam necesse est, occupatus ut sim in dandis causis, unde vis illa systematici motus promanet: sit enim vel magnetica, vel alia peculiaris, mihi perinde est, siquidem easdem ex contradicentibus non vacillante sententiâ nostrâ querere possum.

THEOREMA QUARTUM.

Motus systematicus non officit alicui motui particulari corporis in eodem systemate contenti, utut motus is sit diversus.

1. §.

Hoc theorema satisfaciet argumento contradicentium, quod assertioni nostræ solent obijcere, dum ita inquirunt: Si tellus moveretur motu diurno, utiq; globus bombardicus seu tormentarius in locum explosionis non recideret; sed locus ipsius casus à loco explosionis distaret 8. milliarib. ferè. Quia globus in aere per duo minuta vagari potest, ex quo tempus dictum loci in terra mutationem tantam requirit.

2. §.

In eodem Landgraviano experimento alij validius arguere se existimant, ita inferentes: Si terra motu diurno moveretur, utiq; globus tormentarius versus occasum missus, majus spacium conficeret, quàm si expediretur versus ortum. Quia dum globus versus occasum mittitur, intra illa duo temporis minuta, in quibus milliare Germanicum conficit, non milliare, sed adjectis 8. ferè milliaribus, propter contrariam convolutionem terræ, milliaria novem pertransibit. Si verò globus versus ortum trajiciatur, locus ipsius casus non uno sed septem milliaribus distaret, & globus decideret non in partem orientalem respectu loci explosionis, sed in occidentalem. Quia ob terræ convolutionem locus explosionis versus ortum intra duo minuta transit 8 milliaria ferè; globus verò tormentarius milliare saltem unum, unde locus explosionis necessario globi motum 7. milliaribus antevertet.

3. §.

Hæc objectio verò, ut ut plausibilis sit, tum demum concuteret sententiam nostram si, solum corpus terræ & non ejus totum systema moveretur: 2. si, motus systematicus officeret motui alicui particulari. De priori verò ex theoremate primo constat; Posterius verò ex sequentibus evadet manifestum.

B

2.

4. §. Pri.

Primam verò theorematizationem desumo ex eo, dum motus systematicus sphaeram mobilem in extremâ sphaerae superficie afficit: motâ autem extremâ superficie sphaericâ movebitur totum, quod constat ex naturâ globosorum solidorum naturaliter scilicet constitutorum, in quibus gravitatis centrum datur naturale. In ejusmodi enim globis omnia petunt centrum perpendiculariter; Si verò actu ipso ad idem non tendunt, per violentiam impedita audient. Quia verò motus systematicus sphaeram mobilem afficit in extremâ superficie, hic sese non immiscet motui particulari rerum in sphaera contentarum. Hoc non minimam sibi lucem ex § 2. *Theorem. tertij* acquirere poterit. Non enim motus circum-Jovialium Planetarum vel vaporosum caelum Jovis, à systematico Jovismotu perturbantur.

5. §. *Secundam rationem* afferro ex positâ at non concessâ sententiâ contradicentium; quâ statuitur primum mobile in extremâ mundi sphaerâ residere. Motus hic primi mobilis circumvolvitur stellas omnes tum fixas, tum erraticas, nec ullum eorundem motum interturbat. Hujus operationis causam motui systematico adscribunt, quod scilicet extrema solidæ hujus machinae sphaera mota omnia contenta simul secum abripiat. Si igitur extremâ hujus sphaerae motu tantæ machinae mundanae corpora circumvehit sine ulla eorundem motus vacillatione; quid mirum si corpora in systemate in immensum ferè minori existentia eodem motu systematico sine particularis motus vacillatione circumducantur?

6. §. *Tertio* probo, Motum sc. systematicum minimè turbare, motum corporum in eodem systemate contentorum

torum diversum ab eo, qui est totius, taliter: si in navi, velocissimè dùm promovetur, ex supremo tabulato in carinæ imum quoddam pondus decidat, insensibiliter à perpendiculari abit, quod probat *experientia*; cùm tamen à perpendiculari ad minimum *ii. pedes* discessisse debebat.

7. §.

Ut autem & hoc probem, iterùm ad experientiam provoco, (præsupposito saltem hocce, quod casus hujus ponderis tempus ad minimum unius scrupuli 2di seu momenti requirat) quæ perhibet navem velocissimè velificantem intra unius horæ spacium absolvere duo millia Germanica, id est, 8000. passus, seu 40000. pedes. Ut asserunt *Brodauus* & ex ipso *Fromondus*. Si igitur quis calculum posuerit, inveniet motum *ii. pedum* uni momento temporis attribui debere. Jam verò qui hujus causam reddere voluerit, is ad nullum aliud, quàm ad systematicum medium se recipere poterit.

8. §.

Hoc ipsum etiam *aliud experimentum* exhibet ab unico saltu in carinâ concesso desumptum. Is ad minimum momentum temporis requirit, at sic, nisi systematicus motus navis efficeret, saltus, qui insensibiliter à puncto elevationis deprimitur, *ii. pedibus* distante puncto gaudere deberet.

§ 9

Ex hisce cùm constet nullum motum particularem diversum in systemate, ab ipso systematico motu interturbari posse, utiq; ad id, quod globum tormentarium ad perpendicularum projectum assumebat, argumentum dicendum erit: in idem punctum (nisi ventorum inordinatus motus & tormenti sistentia aliud causentur, quæ

con


Controversiam hanc non ingrediuntur) recidere globum. Siquidem nulla ex systematico motu oriebatur reluctatio, quod probandum erat.

10. §.

Ex hisce itidem apparet impotentia *objectionis posterioris* in §. 2. *hujus* indigitata: cum enim nullus motus atq; adeo impulsus tormenti in systemate à motu systematico turbetur, utiq; pulveris tormentarij violentia eadem ex eodem modo disposito tormento in tantam distantiam globum eundem ad ortum, in quantam ad occasum, vel aliam quamvis plagam mundi promovebit, quod iterum ostendendum erat.

11. §.

Majoris evidentiae ergo hæc eadem in adjuncto schemate ob oculos ponere placet: Sit Tellus EFE: systema



terrenum seu elementare DBD: Coelum seu sphaera systema elementare proximè ambiens HKI: & in eo puncta imaginaria seu mundana explosionis & lapsus globi tormenti.

mentarij M, K, L; sit Occasus I: at ortus H. in G sit tor-
mentum. Ex G explodatur globus tormentarius *primò*
versus K. perpendiculariter usq; in N: dico globum in li-
nea G L tùm in ascensu, tùm in descensu permanere. Quia
permanet in ipso systemate elementari, in quo contenta
motâ systematico motu non turbantur.

12. §.

Secundò. Ex G explodatur globus versus occasum in-
tra 2. minuta prima temporis milliare Germanicum per-
transiens ac decidat ex lineâ horizontali in F. Dico glo-
bum tormentarium ob rationes datas non turbari, sed
saltem unum milliare in terrâ conficere. Linea quidem
F B respectu puncti imaginarij seu mundani K promove-
tur per milliaria 7 ferè: scilicet ob motum diurnum ferè
octo, & ob motum particularem in systemate telluris u-
nius milliarij subtrahendum.

13. §.

Tertiò. Ex G explodatur globus tormentarius ver-
sus ortum, ac decidat in E, à G uno milliari distans. Dico
ob globum in systemate elementari contentum, respectu
superficiæ terræ, spacium saltem unius milliarij & non
ulteriùs (salvis manentibus conditionibus in §. 12. pro-
latis) progredi posse; at ratione puncti imaginarij seu
mundani K, G fortietur punctum imaginarium M, scili-
cet E respectu superficiæ terræ, ita ut G & E intra duo mi-
nuta prima horaria pertransierint 9. ferè milliaria; scilicet
ob motum diurnum G promoveretur ad 8 ferè milliaria:
motum verò globi tormentarij particularem unum mil-
liare, quæ addita conficiunt globi motum systematicè
consideratum 9 mill: undè etiam patet globum non ver-
sus ortum, sed versus occasum necessariò decidere. Hoc
theorema paululum prolixius tractare volui, ut viderent
nostræ sententiæ oppugnatores objectionum arduarum
putatitium pondus.

THEO.

THEOREMA QUINTVM

Duplex motus diversus eidem
corpori, atq; adeò Telluri adscriptus
nullam spirat absurditatem.

I §.

David Gorlaeus non sanè inhonestâ libertate in exercitationibus Philosophicis ut plurimum usus, cum animadverteret cum alijs, ex Telluris motu diurno duplicem corporis in systemate moti oriri motum, alterum quidem ratione systematis, at ratione particularis motus in systemate alterum, tali mihi pag. 335. adversus Coperniceos utitur argumento contra theorema propositum directo:

2. §.

Res duobus motibus diversis posset moveri simul, si duo motus ei forent naturales. Illud planè contingere nequit. At terra & aqua motus naturalis est in rectâ lineâ ad centrum. Non igitur circularis, Nec responderi potest esse hunc partium motum, at non totius. Si enim partes moventur deorsum, & totum eo potest moveri motu. hucusq; Gorlaeus, cui astipulantur infiniti.

3. §.

Paucis igitur probabimus theorematis nostri veritatem: ac deinde falsa in argumento Gorlaei proposita facile suâ sponte semetipsa prodent. Duplicem autem motum eumq; diversum in uno eodemq; corpore dari posse naturalem patet inde, quod in stellis duplex, si non actualis, saltem possibilis detur motus naturalis. Nam in ijs motus rectilineus negare nequit, ob compositionem & conservationem sui globi, in quibus pars extrema quævis versus suum centrum, scilicet globi stellaris, nititur; At in ijs curvili-

neus

neus ratione systematici motus datur, qui cum ab omnibus concedatur, demonstratione opus non habet, & sic duplex motus naturalis eidem corpori, atq; adeo Telluri competere potest, quod probandum erat.

4. §.

Imò in eodem corpore duplex actualis quòd detur indè manifestum est: dum nimirum *Galileus Planetas circum-Joviales*, quò fuerint *Jovi* propinquiores, eò majores apparere; at eò minores, quo fuerint remotiores asserit. Hujus rei causam si quis scrutari voluerit duplicem viam ingrediatur necesse erit: *Vel* enim dicendum erit, *Circum-Joviales planetas* in tantum à *Jove* removeri & appropinquare nobis, ut sensibilis eorundem *per leges Opticas* suboriatur quantitatis diametrorum diversitas: *vel* dari materiam in *Jovis* viciniâ vaporosam *circum-Jovialibus* perviam. In qua dum versantur, appareant majores, cum verò extra eam vagantur minores. Tertium ab his duobus diversum nec fingere possum.

5. §.

Prims concedi nequit, tum ob digressionem à *Jove* exiguam, tum ob revolutionis tempus brevissimum, quæ ex *Galilæi Nuncio Siderio* manifestè patent. Hocce evictò *posterius* veram causam suppeditabit. Quia enim vaporosa materia *Jovem* circumdans crassior partibus ætherijs exterioribus, utiq; diversitas apparentiæ inde oriatur.

6. §.

Hæc materia, quia *circum-Jovialibus* pervia, (quod circularis motus evincit, si enim vaporosam materiam non pertransirent sub *Jove* incedentes quantitate majores quàm cum *Jovi* fuerint propinqui, non appareret, quod tamè *contra observationē Galilæi*,) utiq; mobilis actu erit, rectà se ad centrum *Jovis* recipiens. Globum enim

Jovialem observat & ei semper adhæret. At totum syste-
ma movetur periodicè & (ut ex concessis disputem) cir-
culariter; datur igitur duplex motus ejusdem vaporosi
corporis, quod iterum probandum erat.

§ 7.

Falsum igitur erit in *Gorlai* argumento præsupposi-
tum fundamentum, ex quo asserit duplicem motum
naturalem diversum (contrarius enim non est) eidem
corpori adscribi non posse. Falsum etiam erit illud, quod
in responsione, ad propriam instantiam datâ ponitur;
quasi totum moveri deberet ad motum similem parti-
um, cujus contrarium patet ex motu duplici materiæ
circum-Jovialis. Nihil ergò *Gorlai* argumentum adversus
sententiam nostram infert.

7. §.

Obstaculis his potissimis quæ in duobus ultimis
theorematis ventilata sunt, remotis, reliqua ulte-
riori ventilatione indigna ipsi actui disputa-
torio reservare placet.



Corollaria

1.

Motum annum Telluri, non Soli, vindicandum esse ex Planetarum habitudine retrogradationis annua, 2. ex appropinquatione annua acronychia, 3. ex multiplici Planetariorum corporum circa Solem absurda circumvolutione, bene consideratis assero. Argumentum verò ex synodico motu, quod à Clariss: Lansbergio è τιση μωυικδν censetur, ad probandum motum Telluris annum nullius ponderis esse (ut us necessarium fit apud eos, quibus de annui motus certitudine constat) pronunciare non vereor.

2.

Ingens illud diastema inter Saturnum & stellas fixas annuo motui Telluris non officere existimo.

3.

Sententia nostra non est nova, sed satis vetus; Aristoteli, imò ipsi Pytagora cognita.

4.

Ab actuali motu locali nullum corpus naturale liberum esse inquirenda veritatis ergò putatur.

5.

Causam primariam contractionis pupille praternaturalem, eamq; in adventantis lucis vim ponendam esse statuo.

6.

Datur locus in terris, cui, Sole in meridiano existente, thema rationale nullum conveniens existri potest. ut vel hinc Astrologia non indigno modo Nugatoria amare dicatur.

7.

Ex hac regione oriundus rectius Prussus, quàm Porussus appellatur.

FINIS.